

tulat evangelium, potius admirarentur gentiles nostros, quam eos qui miracula edunt.»

Quæ cum ita sint, nemo alterius invidet statui, bonis, conditioni, sed suis quisque talentis negotietur quantum potest. *Tu supplex ora* (clerice), *tu protege* (miles), *luque labora* (agricola.)

CONCIO IV.

QUID DEBEANT PARENTES LIBERIS.

I. Fuga peccati. — II. Norum honestas. — III. Studium litterarum. — IV. Labor et exercitatio. — V. Exempla bona. — VI. Suavitas moderata. — VII. disciplina.

THEMA.

Uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum. Matth. XXV.

Consuetudo, qua parentes hodie varia munuscula liberis suis clanculum imponunt sub nomine S. Nicolai, ab hoc ipso sancto cœpit, qui tribus filiabus, quæ ob egestatem jamjam prostituendæ erant, tantum injectit clam pecuniarum, ut matrimonio jungi possent. Ejusmodi Nicolaus et primus quidem ac maximus dominus, Dominus Deus est; qui vobis, o parentes, plura imposuit munera seu talenta, uni quidem quinque; alii duo; alii unum; totidem videlicet liberos, hi enim sunt dona Dei: unde, Genes. XXXIII. ait Jacob: *Parvuli sunt, quos donavit mihi Deus; et Gen. IV. Eva: Possedi hominem per Deum.* Scire tamen debetis, hæc talenta vobis ea lege data esse, ut in eis negotiemini et lucrum faciatis, eaque suo tempore restituatis. Et vos igitur parentes, Nicolai esse debetis, liberisque vestris alia dare munuscula, quibus ipsi in virtute crescant, et vos inde lucrum ac laudem reportetis. Sed quænam illa munuscula? Non aleæ et chartæ; non canthari et pocula; non gladii et pugiones quæ non pauci parentes suis insinuant liberis; sed quæ hic potentibus venum exponemus, pro more patriæ nostræ, ut his comparatis liberos suos recreent.

I. Est agnus Dei, id est, antidotum contra peccata, ut ea discant liberi velut pestem fugere. Sic enim et aquila nidum suum lapide ætite contra colubros munit, ut Hieronym. super Isaiam scribit, l. ult. Solent parentes filiis suis res noxias, ut gladios acutos, ignem, equos, etc. terribili schemate depingere, ut eos hæc cavere doceant. Nihil adeo noxium homini, ac peccatum: unde a puero ejus horror imbibendus est, et filiis inculcandus, exemplo Ecclesiastici, cap. XXI. *Fili, inquit, quasi a facie colubri fuge peccata; et si*

accesseris ad illa, suscipient te. Dentes leonis dentes ejus, interficientes animas hominum. Quasi romphæa bis acuta, omnis iniquitas. Hæc ille. Præstitit hoc Tobias, qui filium suum ab infantia timere Deum docuit, et abstinere ab omni peccato, Tob. I. Blanca S. Ludovici Francorum regis mater peccati gravitatem ita filio depingebat, ut is mallet lepra infici, quam unico peccato, teste Jonvil. in ejus vita, c. XCIV. Dicebat enim mater: *Malim, o fili, te vita privatum, quam unum lethale peccatum perpetrantem.* Idem, c. III. Sed nimirum solliciti valde sunt parentes, ne inficiantur et moriantur filii, non curant vero, an peccent. Respha uxor Saulis filios suos cruci affixos custodivit, ne aves eos interdiu, aut bestia noctu lacerarent, donec depositi sepulturæ traditi sunt, II. Reg. XXI. ultimam parentes tantum curæ impenderent liberis viventibus, quantum hæc impendit mortuis!

II. Vestis nova et decens, id est, morum honestas. In cujus rei typum Anna Samuelis mater statutis diebus faciebat filio tunicam parvam, et afferebat ei in templum, ubi educabatur; sed eum vestivit multo melius, dum in templo educari fecit. I. Reg. II. Ejusmodi tunicam facient parentes filiis, si optimis eos informabunt moribus. Macrobius primo Saturn. scribit, olim parentes filiis vestem prætextatam facere solitos, et in ea ante pectus, bullam auream cordis figura; quo eos hortarentur, ut corde præstarent, quæ ore et gestu præ se ferrent. Ursa catulos suos, quos informes parit, lambit et lingualingit, donec formam acquirant debitam, oculos, nares, etc. ut refert Plutarch. de amore prolis, et Amb. lib. VI. hexame. c. IV. cur non itidem parentes efforment filios suos optimis doctrinis? *Filii tibi sunt? Erudi illos, et curva a pueritia,* ait Ecclesiasticus, c. VII. Pulchre S. Augustinus, in Psal. L. ait, parentes, concionatores domesticos esse debere; ut ea scilicet domi doceant filios, quæ in templo audierint a concionatore: et S. Chrys. hom. IX. in 1. epist. ad Tim. ait, has esse divitias veras, filiis a parentibus relinquendas. Deducus est parentum, si liberi eorum incedant sordidi, laceri, nudi; quanto magis si male morati: sed heu quam præpostere agunt parentes? Vestibus quidem ac supra quam decet ornant filios, animis eorum prorsus neglectis. Hos S. Chrysost. hom. VI. in Matth. similes asseritis, qui quamvis morbo conficiantur, cura tamen valetudinis neglecta, aureas sibi vestes contexunt. Conqueruntur sæpe laici, clericos, monachos, moniales non facere officium suum, dare mala exempla, etc. sed quis in causa est? Vos o parentes, qui quos male educastis, nihilominus ad status illos promovistis. Neque enim

habitus clericalis inolita vitia pelleret et dealbare Æthiopem potest. Certo Aristoteles, lib. II. ethic. c. I. ait: « Non parum refert, sed permultum, utrum sic an sic a pueris assuescamus, imo vero totum in eo positum est. » Hæc ille.

III. Liber, id est, studium litterarum, quo filii ad hoc idonei, excolendi sunt. Hoc videntur petere verba illa Christi: *Oportuit ergo te pecuniam meam committere nummulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura.* Mensa nummulariorum, ubi pecunia plures parit pecunias schola litterarum est, ubi docti alios doctrina sua imbuunt, et Christo lucrantur. Servi igitur mali et pigri sunt ejusmodi parentes, qui talenta ista fodiunt in terra, vel abscondunt in sudario, uti Lucas ait; dum optima sæpe ingenia, quæ poterant mittere ad scholas in lucrum animarum, terrenis obruunt negotiis, vel domi suæ, quasi in sudario involutus retinent. Ne fundum suum quis incultum relinquat, cogi a magistratu potest, cum spes est fertilitatis: et filios ergo ad studia idoneos avertere, et ad alia applicare, annon magis in detrimentum communitatis cedit? Sed objiciunt isti, nihil meliores fore filios si studuerint: quibus respondeo, quod Aristippus cuidam similiter percontanti de filio Aristippi respondit, nimirum: *Ut nihil aliud, inquit, certe in theatro non sedebit lapis super lapidem,* Laert. l. II. c. VIII. Ut enim aliis parum prosint, sibi saltem non oberunt facile. Prudens agricola non excindit arbores horti fructiferas ad extruendas ædes, sed tantum silvestres et infructiferas: sic parentes non debent liberos bonæ indolis, et liberalis ingenii applicare ad rusticana et servilia officia: sed ad studia, religionem, etc. ut Deo serviant et reipublicæ prosint. Ideo Deut. XX. præcipit Deus ne arbores pomiferæ excinderentur ad extruendas belli machinas, sed ligna tantum non pomifera et agrestia.

IV. Ligo, id est, labor et exercitatio. Munus hoc subministrat Æsopicus ille agricola, qui moriens ut excitaret ad laborem filios, vocatis ad se aiebat: « Amantissimi filii, quo in loco res meæ sint videtis. Feci quod bonum parentem oportuit facere, et quicquid potui mea industria vobis comparari: idque totum in vinea nostra querere ac reperire licebit. » Mortuo igitur patre filii ligoibus armati solum omne evertunt et thesaurum quidem invenerunt nullum, sed terra interim perculta fructum attulit uberem. Certe potentissimi etiam impp. filios suos labori assuescere a puero fecerunt. Severus imperator filios ab urbe abductos in castris militari disciplina assuefecit, apud Maiol. tom. III. can. coll. III. Octavianus imperator suos ad saltum, cursum, mili-

tiam, filias in lanificio, ad colum, acupicturis exerceri fecit, Cic. VI. polit. cap. IV. Ligur filios suos esuriendo, sitiendo, algendo, æstuando attrivit, id. l. IV. Tusculan. Spartani ablegatos a se pueros, non prius domum redire permittebant, quam parentibus honori, et patriæ utilitati esse possent: apud Gymnosophistas pueri impransi abibant, qui nullum diurnæ operæ fructum afferebant: Ægyptiæ juventuti ex legis sanctione non prius dabatur vesci, quam centum et octoginta stadia (faciunt quatuor milliaria Germanica et medium) percursissent: Lacedæmonii liberis suis escam non concedebant, nisi quam sagitta dejecissent, Textor, in offic. p. II. in præfat. Taceo bruta animalia? Nam et hirundines pullos nidificare docent, Pier. l. XXII. et aquila suos ad prædam tardos rostro percutit et expellit, Anglicus, lib. XII. c. I. Viderint ergo parentes, qui otio perdunt liberos, ex quo fit ut non solum ad omnia munia inepti fiant et paratam multo labore hereditatem brevi abliguriant, tandemque egere incipiant: verum etiam ut vitiis toti absordescant, stantque velut ager hominis pigri, et vinea viri stulti, quam totam repleverunt urticæ, Prov. XXIV.

V. Imagines, id est, exempla bona, bonorum, ut ea imitentur, malorum, ut ea fugiant. Ita faciebat Sara, quæ Ismaelem eiecit e domo, quia ut advertit S. Hieronymus, in tradit. Hebr. in Genes. effingendo luteas imagines Isacco scandalum præbebat et occasionem idololatriæ, Gen. XXI. Certe Romani mittebant pueros nobiles, de mane ad arcus triumphales suorum majorum, ut eorum armis inspectis ac trophæis accenderentur ad virtutem, ut refert Holcot. in Sap. l. LIV. Similiter S. Ludovicus Franciæ rex, priusquam se ad quietem componeret, vocatis filiis facta dictaque principum proponebat, tam eorum qui laudabilem vitam duxerant, quam qui nefariam, monebatque: *Illorum exempla animis vestris inculcate, ut et meliores evadere et ab omni flagitio abstinere valeatis,* Jonvil. in ejus vita, cap. LXXXVII. Lacedæmonii quandoque seruos suos inebriabant ut vomerent, et vacillarent, saltarent, insanirent coram suis liberis, ut sic fœditate spectaculi absterriti, ebrietatem et similes turpitudines caverent. Refert Matth. Tympius, in spec. princ. signo LIX. Ante omnia autem parentes ipsi boni sint exemplo liberis: et cancer ille Æsopicus non frustra matri dicit: *I præ, sequar.* Certe ordinariæ filii prius noscunt chartas lusorias, quam sacras imagines, jurare, quam orare. Unde hoc nisi a malo exemplo? Plus observant pueri quæ parentes agunt, quam quis existimet. Burdegala certe anno 1528. ex his duo, sexennis et septennis

interrogati a magistratu, quomodo eorum mater in puteum cecidisset, responderunt: Cum ivisset haustum aquam veniens a tergo pater sublevavit eam et præcipitavit. Refert. Chav. f. III. de prud. c. XII. § III.

VI. Libum, quod dulcedinem acrimonia mixtam habet, id est, amorem, de quo Anselmus: *Cupitis, inquit, pueros optimis ornari moribus? Necesse est ut cum severitate disciplinæ paternæ pietatis, et mansuetudinis levamen eis impendatis*, Surius, in ejus vita. Ita faciebat Carolus Magnus imperator qui academiam Parisiensem fundavit, et seminarium duplex, quod erexerat nobiliorum unum, alterum plebeiorum. Hic scholas suorum alumnorum audiens eos examinavit, ac videns quidem primo optime proficere tenuiores, laudavit et animavit eos, spondens se ex eis facturum cancellarios, præfectos aulæ, consiliarios, præsidēs; illorum fore episcopatus, præposituras, optimas parochias, etc. Contra veniens ad nobiles, qui parum proficiebant, eisdem minabatur, se non modo eos non promoturum, sed et impediturum; sicque omnibus calcar addidit, Aventin. l. IV. annal. Boior. apud Beierlinck, in apophth. christ. Multa sunt præclara filiorum ingenia quæ si rite et liberaliter tractarentur, plurimum patriæ profutura essent. Multoties tantum a parentum sævitia destruantur. Accidit iis, quod Bucephalo Alexandri Magni equo: videns enim Alexander adhuc puer equum ferocire, quia immitius tractabatur: *Qualem, inquit, isti equum perdunt, dum eo per imperitiam ac mollitiem uti nesciunt?* Itaque mira arte ei blandiendo, sine verberibus tractavit equum, et facile conscendit, ac quo voluit, ad cursum adhibuit, Curtius, l. I. Unde Themistocles adolescens e feroci animo in optimum virum mutatus, aiebat, asperos et indomitos pullos in optimos equos evadere, si quis illi adhibeat disciplinam rectamque institutionem, Plutarchus, in ejus vita.

VII. Adhuc unum desideratur, et quid? Virga, id est, castigatio moderata; sic enim Sapiens monet, Prov. XXIII. *Noli subtrahere a puero disciplinam: si percusseris eum virga, non morietur; tu virga percuties eum, et animam ejus de inferno liberabis*. Ecce quam pretiosa herba est virga! Quid non deberet facere mater, si filium, damnatum ad furcam, eripere posset? Atqui ex inferno potest. Præclaram hominibus monstrarunt herbam cervi, diptamnam videlicet extrahendis e corpore sagittis factam teste Plin. l. VIII. c. XXVII. ea enim depasta sagittas facile extrahunt: sed multo pretiosorem ostendit ibi Sapiens, quia sanat vulnera animæ et sagittam, id est, pœnam peccato debitam, extrahit, imo et animas ex inferno. Unde idem Sa-

piens, Prov. XXII. ait: *Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinæ fugabit eam*. Labuntur fere ex ignorantia pueri, eaque innata et alligata quodammodo illis est, sed vinculo tamen fragili, non ferreo; ideo non requiritur virga ferrea aut virga iræ, sed sufficit virga disciplinæ, id est, moderata castigatio. Nisi adhibuerint parentes virgam disciplinæ filiis, Deus reget eos in virga ferrea. Ita enim virga Moysis, quamdiu eam tenuit, virga fuit, ubi abjecit, serpens erat, Exod. IV. Ita si virgam super filio tenueris, virga tantum erit, nec filius morietur. Sed si abjeceris eam, serpens erit, et mors filio. Vultis igitur, o parentes, liberare filios vestros a virga ferrea et serpente, mature dum curvari possunt, eos curvate; ut sic audire mereamini hodiernam Domini vocem: *Euge serve bone et fidelis, quia super paucos, id est, super paucos liberos, fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui*.

CONCIO V.

QUID DEBEANT FILII PARENTIBUS.

I. Honorem et reverentiam: 1. Pone incedendo. 2. De eorum tenuitate non erubescendo. 3. Eorum vitia occultando.—II. Obedientiam: 1. Parendo. 2. Credendo eorum sensui. 3. In rebus gravibus eos consulendo.—III. Obsequium et servitium: 1. Suppeditando victum indigentibus. 2. Non cogendo ad honorum traditionem. 3. Eorum defectus æquo animo ferendo.

THEMA.

Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratum sum. Matth. XXV.

Hilaris hæc dies est pueris et puellis gratisimo adventu S. Nicolai, quoniam ab eo munuscula acceperunt. Vidistis, o liberi, et lætati estis. Sed velim tamen sciatis, S. Nicolaum sua etiam munera a vobis expectare. Quid enim, si tot bonorum largitor, in donatus abeat, et post annum ad vos non redeat ob vestram ingratitude? Meo igitur consilio fovendus est hic benefactor, et pro modulo vestro reciproci munusculis demulcendus, ut se in posterum largiorem erga vos exhibeat. Frumentum pro sale discimus. Et in hodierno evangelio, quot talenta quisque accepit, totidem et retulit ei, a quo accepit. Quid igitur vos muneris afferetis S. Nicolao? Sane ipse prædives est, nec indiget vestris donis; istud tamen requirit, ut ipsius nomine vestris vos parentibus munuscula afferatis ipsis placitura. Quod si feceritis, certi estote propitium vobis S. Nicolaum fore et in vos deinceps multo munificentiorum. Quæ autem sint ista, audite.

Nostis filii et filiæ tres auri massas appingi S. Nicolao: totidem munuscula parentibus vestris offerri vult a vobis S. Nicolaus. Primus est reverentia, secundum obedientiam, tertium obsequium.

I. Honor et reverentia. Præcipitur Deut. V. *Honora patrem et matrem*, primum et summum honorem Deo debetis, quia primarius vester genitor est, secundum debetis parentibus, quia secundarii vestri genitores sunt, eisque post Deum vitam vestram debetis, uti monet Ecclesiasticus, c. VII. *Memento, inquit, quoniam nisi per illos natus non fuisses*. Unde apparet hoc præceptum, quod est primum secundæ tabulæ, fluere ex primo primæ tabulæ. Et propterea recte agere filios, cum parentes vocant dominos: uti faciunt nobiliores. Ita enim et Rachel ait ad patrem: *Ne irascatur dominus meus, quod coram te assurgere nequeo*, Gen. XXXI. Porro hanc reverentiam ostendere debent, primo, pone incedendo, inferius sedendo, salutando etiam non resalutantes, caput aperiendo, cum alloquuntur, etc. Ita Salomon honoravit matrem obviando, adorando, et thronum ei ad dexteram suam ponendo, III. Reg. II. Ita Alphonsus Aragonum rex patri Ferdinando obviam progressus, equo desiliit, ac pedibus eum comitabatur. Monenti autem patri, ut aliorum procerum more equo consensu adequitaret, respondit: *Aliis liberum sit agere quod voluerint, ego nunquam adducar quin patrem, quin regem et eum ægrotum pedibus sequar*, Panorm. lib. II. de gest. Alphons. Ita R. Thomas Morus Angliæ cancellarius a patre suo flexis genibus benedictionem petebat, Staplet. in vita.

Secundo, de eorum tenuitate, si pauperes et plebei sunt, non erubescendo. Non enim decet fortunam antepone naturæ. Deinde: *Etsi pauper est, (pater) inquit S. Ambros. lib. de benedictionibus patriarch.* « Et non habet divitiarum copias, quas relinquat filiis, habet tamen ultimæ benedictionis hæreditatem, quas sanctificationum opes successoribus largiatur. Et multo plus est beatum quam divitem fieri. Ideoque et Joseph festinabat a patre sumere benedictionem. » Hæc Ambros. Qui Joseph, Gen. XLVIII. *adoravit pronus in terram*, patri videlicet humiliter se incurvando, licet pater plebeius et infirmus esset, Joseph vero princeps in Ægypto. Quam indignum sit parentes humiles erubescere, patet exemplo illius ingratissimi filii apud Lutetiam, qui cum esset rustici filius, patrem inclusit eo die, quo solemniter inibat conjugium, vocatis sponsæ cognatis, apud quos vilem generis sui conditionem dissimulaverat. Eductus post triduum et cubiculo, velut e carcere pater, approbante mox senatu illum ex hæreditavit et de portione substantiæ, quæ mane-

bat ipsum, missam fundavit, quæ quotidie celebrari dicitur Parisiis in templo S. Genovefæ, ut refert Chavass. de prudent. lib. I. c. X. Idque rectissime factum ad æternam filii ignominiam et justissimam punitionem, haud dubie ex Dei dispensatione.

Tertio, eorum vitia occultando: *Nemo enim unquam carnem suam odio habet, sed nutrit et fovet eam*, inquit apost. ad Ephes. V. atqui filius caro ex carne patris est, et os ex ossibus ejus quemadmodum Adam de Eva dixit. Quis autem prudens seipsum infamat? Contra hoc debitum cum peccasset Chanaan filius Cham, nuntiando patri ebrietatem, et denudationem avi Noe (ut tradunt Hebræi et Theodoretus) similiter et Cham nuntiando idipsum duobus fratribus suis, merito a patre maledictus est, et in maledictione perpetuaque servitute cum sua posteritate vixit, Gen. IX. At vero Sem et Japhet, quia accedentes retrorsum pallio operuerunt nuditatem patris a patre benedicti fuerunt, et in benedictione vixerunt. Hoc ergo decet bonos filios, parentum vitia tegere. Quod si Constantinus Magnus dixit, si episcopi alicujus stuprum videret, facinus illud suo se paludamento obtecturum, uti refert Theodoret. lib. I. hist. dum in Concilio Nicæno libellos quorundam episcoporum litigiosos combussisset; quanto magis decet id facere filium patri? Quid vero parentum illusoribus? Chami imitatoribus competat, id quod Sapiens, Prov. XXX. edicit: *Oculum, qui subsannat patrem, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ*; quasi dicat: Dignus est qui in patibulo corvos pascat et aquilas. Nominat autem longævas has aves, ut significantur talem mereri vitæ succisionem, quam alioqui longævam sperare posset, si parentes honoraret.

II. Est obedientia, juxta id apostoli ad Eph. VI. *Filii obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est*. Sunt parentes filiorum præceptores quos non tantum gignere, sed et moribus, et disciplinis bonis efformare debent. Et si hoc faciendum est parentibus, obediendum ergo est filiis. Deut. XXV. dicuntur patres ædificare domum, cum liberos gignunt, et relinquunt suæ familiæ. Filii igitur lapides sunt, parentes fabri liberorum (sic enim a Plauto vocantur in Mostellaria) ergo sicut lapis lapidæ et murario in omnibus parietibus, sive tradatur pedibus, sive tundatur malleis, et quocumque loco ponatur, ibi jacet: sic debent esse filii in manibus parentum. Et propterea fortasse protervus et contumax filius accusatus hoc nomine a parentibus, præcipitur lapidibus obrui, Deut. XXI. quia scilicet lapidibus, qui in omnem figuram efformari possunt, pervicacior fuit. Hanc

autem obedientiam ostendere debent, primo, parendo in omnibus, quæ Dei voluntati non contrariantur. Vultisne ejusmodi filios? Isaacum intuemini, qui lignorum fasciculo loco asini se onerari et ligari super struem ad immolandum passus est a patre. Jacob ejus filius consilio matris acquievit, licet patris indignationem non temere metueret. Hujus filius Joseph missus ad visendos fratres, sibi licet infensus, illico cucurrit. Philippus Rom. principum primus christianæ fidei sectator filium suum ejusdem nominis adeo sui reverentem sensit, ut in imperium se consentiente proventus filius gloriaretur se patrem habere, cui posset obedire non tantum ut filius, sed ut imperator. Quin et horum immediati successoris, Decii scilicet imperatoris filius, cum pater eum regem nominare et diademate insignire vellet, renuit dicens: *Vereor ne si imperator sum de discam esse filius. Malo non esse imperator, sed humilis filius, quam imperator et filius indevotus*, Petr. Bless. epist. XLVII.

Secundo, cedendo eorum sensui, dato etiam quod filii rem melius intelligant, vel, si forte graviter errarent, modeste admonendo, exemplo Jonathæ, qui videns patrem moliri necem innocenti Davidi, dicebat: *Ne pecces rex in servum tuum David, quia non peccavit tibi, et opera ejus bona sunt tibi valde*, I. Reg. XIX. Exemplo item Philippi paulo ante dicti, qui patrem suum itidem Philippum in ludis publicis petulantibus cachinnantem vultu averso notavit, ac tacite redarguit, ad risus abstinentiam sic fortasse a severa matre Augusta christiana femina moribus informatus, Aurelius Victor, in Philip. apud Baron. anno 249. In dubiis et indifferentibus rebus cedat filius patri, minor majori, juvenis veterano. Sic ignis, seu lampas accensa noctu quidem splendet, interdum non splendet; quia soli cedit tamquam majori lumini. Docuit hoc Christus, quando Jerosolymis deseruit domum patris sui, et descendit cum illis in Nazareth, Luc. II.

Tertio, in rebus gravibus eos consulendo, ut cum ducenda est uxor, quam sibi eligere de parentibus male meritam pravi est filii, ut fecit Esau, Genes. XXVI. qui duxit contra voluntatem parentum uxores alienigenas duas, quæ ambæ offenderant ejus parentes. Unde postea quando Jacob fratri ejus quærenda erat uxor, dixit mater ejus Rebecca: *Si acceperit Jacob uxorem de stirpe hujus terræ, nolo vivere*, Gen. XVII. Raro felicia sunt conjugia quæ coierunt clanculum et sine parentum arbitrio, quia tunc plerumque juvenes respiciunt vel voluptatem, vel pulchritudinem, vel sequuntur inordinatum amorem suum; quo nomine Deo displicent, sicut illi qui paulo ante

diluvium acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant, id est, præcellentes pulchritudine. Parentes autem ad mores obtutum dirigunt, atque ita longe melius discernunt, quænam magis conveniant filiis.

III. Est obsequium, quo liberi parentibus inservire et necessitates eorum sublevare debent ex lege ipsius naturæ. Nam ut docet S. Thom. opusc. VII. filii a parentibus accipiunt vitam, sicut milites accipiunt a rege feudum, ut si ei sint fideles, ejus conservationem; si infideles, ejus privationem mereantur. Accedit Ecclesiasticus, c. III. *Qui timet Dominum, inquit, honorat parentes et quasi dominis serviet his qui se genuerunt*. Servire autem debent, primo, suppeditando victum infirmis et egentibus. Si enim a parentibus ipsi enutriti et educati sunt, cum essent adhuc ætate tenera et imbecilla: ecce eandem vicem parentibus suis repuerascentibus non rependant? Annon apostolus, I. Tim. V. jubet mutuam vicem rependere parentibus? Annon solo naturæ instinctu faciunt hoc bruta? Meropem avem statim ac volare potest, parentibus inservire scribit Pierius, l. XVII. hier. Vultisne exempla hominum? Celebratur apud Plin. l. VII. c. XXXVIII. filia quæ matrem carceri mancipatam diu sustentavit suis uberibus, qui locus postea deæ pietati consecratus est: et illa altera, quæ similiter Cimonem patrem, apud Valer. Max. l. V. necnon Cornelius, qui patrem luminibus orbatum scipionis instar regebat; unde Scipionis cognomentum sibi et toti familiæ suæ acquisivit, Chav. de prud. l. c. X. item filius auri fabri Toletani, qui patre obfalsas suspensiones a Petro I. rege Castulonis ad mortem damnato precibus et lacrymis conscio impetravit, ut pro parte occideretur, apud Fulgos. l. V. c. IV. necnon cardinalis Grimanus, qui pro patre Antonio, carceri se obtulit, apud Egnatium, l. V. c. IV. item Quinti Ciceronis (Marci fratris) filius, qui patrem ad necem quæsitum occuluit; et cum ipse in quæstionem duceretur, et omnibus tormentis interrogaretur, prodere noluit, Dio. lib. XLVII. rursum quædam filia, quæ Calvinistis in Gallia grassantibus, et ingentem stragem edentibus per media cadavera irruit, et patrem quæsitum ivit, inventumque adhuc spirantem humeris extulit et curavit, uti ejus tragædiæ scriptores litteris prodiderunt.

Secundo, non cogendo, ut sibi bona sua cedant, nec mortem eorum optando, instar vulturis qui moribundæ pecudi adest et cadaver expectat; vel corvi, qui parentes seniculos expellit de sua statione. Si enim parentes tam dolenter ferunt mortem filiorum præmaturam, cur non item filii mortem parentum: sane perquam raro for-

tunant filii, qui parentes compellunt tradere sibi bona sua, justo Dei judicio. Narrat Belleforentius in Clotario, Chramnum Clotarii Francorum regis filium patri rebellasse (eo quod nolebat eum pater ante tempus regem creare Aquitaniæ) et varia contra eum bella gessisse. Tandem vero in Britanniam profectus pater cum suis copiis, imploravit supplex divinam opem contra incorrigibilem natum; inito autem certamine, non illum fudit fugavitque solum, sed etiam comprehendit, totusque ira percitus inclusit cum uxore et filiabus in rusticano tuguriolo, scamnoque alligatum igne undique circumposito incendit et consumpsit. Similem fere exitum habuit Absalon, simile ob peccatum. Aliter se gessit Hermes Anathoclei regis filius cum patre in extremis agente postulare ad regnum, renuit donec quocumque spiritus patri superesset, Pet. Bles. ep. XLVII.

Tertio, horum defectus et senectutem æquo animo ferendo, juxta id Eccl. III. *Fili suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vita illius et si defecerit sensu, veniam da*. Senes bis pueri sunt. Tolera ergo bis puerum, qui te toleravit semel puerum. Docent hoc ciconiæ, teste S. Ambros. V. he exam. c. XVI. quæ parentes, cum senuerint et penarum defluvio laborant, suis penis confovent, et alis utrinque advolantes ad volandum juvant et sustentant. Inde a ciconiis natum illud proverbium, mutuam officii et præsertim nutritionis vicem reddere parentibus. Longe vero ab hac pietate distabat filius ille, qui ut refert S. Bonavent. I. de decem præceptis, ser. V. de quarto. præcepto, quotidie splendide cum uxore sua epulabatur, pauperulum interim patrem fabis victitare sinebat. Hic pater cum die quadam filii domum adiisset, tempore, quo ille mensæ accumbat, et caponem sibi paratum habebat, ubi advertit filius patrem adventare, caponem armario includi fecit, solitum tantum cibum patri præbens. Patre itaque abeunte, caponem educere dum vult, in bufonem ingentem conversum videt, quem in faciem, et oculos insipientem avellere nulla ratione potuit, donec ejus veneno infectus expiraret tandem. Quamquam ut scribit Cantiprat. l. II. ap. c. VII. prius aliquot annos vixit et ex præcepto episcopi diocesanii per Normanniam et Galliam circumivit, ut suo exemplo omnes filios admoneret.

Atque hæc tria sunt, quæ docet D. Thomas, in opusc. deberi parentibus a filiis: quia enim parentes præbent filiis esse et vitam, merentur recipere ab illis honorem et reverentiam: quia dant disciplinam et institutionem, merentur recipere obedientiam: quia dant victum et amictum, merentur in egestate et senio præsertim recipere

sustentationem. Hæc si parentibus tuis, fili, muñera imposueris, audies a Domino: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*. Amen.

CONCIO VI.

USURA DAMNATUR.

I. Damnatur a vocabulo suo. — II. A legibus: 1. A divina veteri. 2. A divina nova. 3. A ss. canonibus. 4. A legibus civilibus. — III. A ratione.

THEMA.

Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratum sum. Matth. XXV.

Nulli hominum generi, meo quidem judicio, adeo viam cæli obstruit Christus in evangelio, atque avaris et raptoribus. Hinc enim ut alia taceam, terribilis illa sententia, Matth. XIX. *Facilius est camelum intrare per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cælorum*. Sed videbitur forte alicui in hodierno evangelio aperire illis portam et latam quidem in regnum cælorum. Laudat enim eos, qui traditis sibi talentis multa alia sunt lucrati. Quis autem plus lucratur quam usurarii et raptores? Deinde, post finem hujus evangelii servo illi pigro, qui nihil fuit lucratus, ait Dominus ejus: *Oportuit te committere pecuniam meam nummulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura*. Ergo dicet aliquis: Jubet Dominus usuras facere, easque a nobis exigit. Ergo iniquitas apud Deum? Absit. Si enim de Jove dixit Mosonius: *Jupiter non fenerator, multo minus fenerator*, id est, non accipit ad usuram, multo minus dat: quanto magis hoc de Deo vero dicendum? Quare alia longe usura est, quam a nobis Deus exigit, alia talenta, merita salutis, opera virtutum. Quare obstruamus huic crimini denuo januam regni Dei.

I. Damnatur primo, ab ipso suo vocabulo, Hebræo, Græco, Latino adeoque ab omni hominum genere, quia hæc sunt linguarum fontes. Vocatur enim Hebraice nesech, i. e. morsus, quoniam instar canis mordet et rodit ossa pauperum. Sic habetur Exod. XXII. *Non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes*. (Hebraice: *non eris ei ut exactor, vel fenerator, et non ponas super eum morsum*.) Quia vero nemo haberi volebit canis famelicus aut rabiosus, qui se aliorum moribus pascat, idecirco ad probri effugium ad usuram vocarunt Hebræi tabith, id est, incrementum. Sed ut occurrat Deus huic fraudi, utrumque nomen ibi conjungit et damnat. Unde Rabbi Salomon dixit: Incrementum usuræ vocatur ne-